

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11725

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2281

A S C E T I C I.

2282

auia llamado, y reconocieron non estar la falta en el estado de Vida, si no en el non saber usar del como deuián. Sectum est in IV. Dialogos pium hoc Drama, quorum I. et III. inter Fratres, II. et IV. inter Sorores. Autor taceatur, qui fortassis est idem Hieronymus de Lemos, ut omnia sua dent.

DCI.

809 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Folior. 405. 8. minute descriptus dicitur: *Guldten Schatze Der Himellischen Glory*, id est: *Aureus Thesaurus Coelestis Gloriam*, agitque Partibus III. de Vita et Morte D. N. J. Ch. Autor Georgius Harsch dicat Ferdinando II. Imp. die Bartholomaei Apost. anno 1635. nihil tamen de se in prolixa nuncupatoria memorat, neque alibi quidpiam de eo memoratum reperio, unde ignoro, an ad nobilem, nunc Comitum, hujus nominis gentem pertineat. Virum fuisse pium, in sacra lectione versatum, linguaeque latinae peritum ex Autorum adductorum locis patet, et fortassis concinnius ea lingua differuisset, quam patria, quod quidem multorum ea aetate in Germania fatum fuit. Ait tamen in Praefatione, quae Dicationem excipit, se stilo simplici usum, quo Operis utilitas ad plures porrigeretur. Parte I. agit de Fructu multiplici, qui e frequenti Vitae Mortisque Christi contemplatione redundat, Parte II. Vi-

tam Servatoris ab Incarnatione ad Crucifixionem perducit, Parte III. Reliqua usque ad Ascensionem in Coelum exequitur, tum perorat.

DCII.

Codex chartaceus ital. Sec. 704 XVII. Folior. 367. 4. non una manu exaratus continet Thomae Bergomatis Ord. Capuc. Adjutoris, ut vocant, Laici Opuscula Ascetica inscripta Leopoldo Archid. Austr. Caroli Styriaci filio. Sunt vero ea: *Scala di Perfezione*, *Breue Trattato di cose spirituali*, *Dell' Ascensa del nostro Signore in Cielo*, *Dell' Amore et unione, che ha l' Anima con Iddio*, *Dell' Estasi*, et quaedam de Amore Dei Fragmenta. Alia illius enumerat Ill. Mazzuchellius in *Scriptt. Ital. Vol. II. P. 2. p. 942*. Affectibus mysticis multum indulget Vir pius, qui se *sempllice idiota et ignorante fraticello* compellat, seque sua non nisi *delle longe orationi et frequenti contemplationi* hausisse adserit. Interim tamen textibus S. Scripturae et quorundam Patrum latinis utitur. Obiit Oeniponte a. 1631. Ferdinando II. Imp. Leopoldo supracit. et Carolo Madrutio Card. Tridentino carus.

DCIII.

Codex chartaceus ital. Sec. 572 XVII. Folior. 44. 4. continet *Job. Francisci a Clesio O. M. Summaria X. Librorum*, quos de Vita